
PIA ET ADMODVM RELIGIOSA *peccatoris meditatio in sacrosanctam Iesu Christi seruatoris nostri Crucem & Vulnera, per Ioannem de Gaigny Parisinum Theologum Christianißimi Francorum Regis primum Eleemosynarium.*



CVM PRIVILEGIO REGIO,

PARISIIS,

Apud Iacobum Bogardum, sub insigni D. Christophori, è regione gymnasii Cameracensium.

1546.

MEDITATIO IN SACROSAN-
ctam Iesu Christi Crucem & Vulnera.

O quàm luctificum sublimi ex arbore, quamq;
Mœstum atque lachrymabile
O mnibus exponit populis Iudæa theatrum.
Ille ille dilectus suo
F ilius unigena & soboles charißima patri
Omnis mali expers ac doli
C hristus, ut infensi tibi conciliaret amorem,
Et gratiam ô homo patris:
E n duro tua nunc in robore debita pendit:
Et facta per te nomina,
Q uum deesset tibi quod posses exoluere, soluit:
At uerò magno fœnore.
T otius siquidem delenda ad crimina mundi
Quum Christe sanguinis tui
G utta tuóue effusus corpore sudor in horto
Satis superque esset: tamen
F lumina manarunt immania sanguinis. ecquid
Tam dira uerò & horrida
C ælorum artifices meruerunt uulnera palmæ?
Solem atque Lunam & sydera

Q uidquid & ambita cælatur ab æthere terra
Fecere. sed qua gratia?
V t tantum tibi seruirent peccator: & usum
Abutereris ad tuum
O mnibus, afficerésque suo res nomine cunctas.
Age ô manus innoxiæ,
E t scelere atque omni perpuræ à crimine, quæ quum
Arbitrio uestro sedet,
I mperia ut uisum est regitis, regnare modò istum,
Modò hunc iubentes, & modò
V trumque imperii priuatum ponere fasces,
Quid quæso tam indignis modis
C unctorum imperiorum regnorumq; potentes
Vos affici permittitis?
S ic clauis figi sinitis, dirumq; forari?
An non mea causa unius?
M ille cruces unus merui, tormentaq; mille:
Furtorum ego omnium reus.
E t uos innocuæ luitis mea crimina palmæ.
Quidnam ergo tantæ gratiæ,
Q uæ meritis poßim condigna rependere tantis?
Spectabo uestra iugiter

V ulnera. & illa quo ad uiuam, penito abdita corde
Seruabo, & inde ſanguinis
V iuida manantis me totum in flumina mergam.
Nam ſolus ille & unus eſt
Q ui poßit maculas animi tergêre, ſuóque
Mentem nitori reddere.
S ed quid adhuc cæli artifices uos defleo palmas?
Pauliſper attende, & uide,
C erne caput diro infœlix diademate cinctum
Peccator ô homo, & tuum
I n cælum caput audaci nunc erige uultu.
Aculeóſne & ſpicula
S pinarum peracuta uides, pungentia aduſque
Illos beatos & ſacros
R egis Chriſti oculos, auguſtáque tempora & aures?
Viden fluentem ſanguinem,
T urpatum ſanie uultum, diuináque menta
Infecta ſputo & ſanguine?
S ed quo Chriſte tuo ſolitus ſplendeſcere uultu
Candor paternæ gloriæ
Q uónam abiit ſpectata tuis in monte Thaboro,
Ferenda nec tamen bene,

G loria discipulis! Mariæ de corpore sumptus
Quónam perelegans abiit
V ultus, & angelicæ præcellens forma figuræ!
Plorate pacis angeli,
E t lachrimas effunde oculis peccator amaras:
Cuncta creata plangite.
E xtinctum est lumen pudefactáq; gloria mundi:
Sputis & infectæ genæ
A c colaphis cæsæ: diris contusáq; pugnis
Sacri ora uerbi nuncia:
N ulláq; pars capitis malè non tractata uerendi.
Sed quid merebat hoc caput
Q uod nutu totum toties tremefecit olympum!
Nil Christe rex planè, nisi ut
I mpuræ spinas runcare libidinis, illasq;
A dblandientes ac nimis
F allentes misérè incautos euellere nostris
Nos edoceret cordibus
D iuitias. quámnam ergo tibi rex Christe rependam
A ut dignè habebo gratiam,
Q ui quum esses augusta corona & gloria regum
In gratiam serui tamen

I pse tui, mundi illecebris carnisq́; ferocis
Vt solueretur, spinea
P assus es ornari dirùm pungente corona:
Non est meum ô deus tibi
P ro tantis dignas grates persoluere donis.
Sed interim spinæ istius
I n mentem ut ueniat semper mihi, totq́; dolores
Nunquam mea mente excidant:
D ecerpam ex ista flores & serta corona:
Quæ plectam, & inde iugiter
A duersus mundi illecebras & dæmonis astus
Blandæq́; carnis suauia
S anguineis istis redimibo tempora sertis:
Et me tuebor perpetim.
S ed capite inspecto iam iam peccator ad imos
Clauisq́; confixos pedes
F lecte oculos, Christiq́; gemens uestigia cerne:
Nil non cruentum ibi uides,
N il nisi sanguineos riuos pede utroq́; fluentes:
Perpende clauos ferreos,
E t reputa extensos tractosq́; per omnia neruos
Tenella membra corporis:

I nspice confractas effuso sanguine uenas:
Crudelius'q; quàm queat
D icere, uel quisquam secum reputare, grauem illam
Tantam'q; molem corporis
F erreis ac nimium duris incumbere clauis.
Sed ô pedes innoxii &
A ugusti, quorum nostræ per basia sordes
Mox abluuntur: greßibus
I n quorum nihil est prauum, non undique rectum,
Nihil'q; non uerum, nihil
Q uod recto uel latum unguem de calle deerret:
Quod esse delictum potest,
A ut quod commeritum uestrum, tam duriter ut sic
Clauis'q; tam crudelibus
I nnocui pro me pœnas lueretis? ego ille
Quorum cucurrere in malum
F estini'q; iuere pedes, & ad omne ruerunt
Immane & indignum nefas.
N il ergo meritus pateris rex Christe: sed ipse
Quod praua & obliqua uia
I ncedens pedibus tortis & ad impia uersis
Merebar, omne exoluere.

I nstituis: posthac ut rectum incedere callem
Veram reductus in uiam
I ncipiam. qualem ergo tibi pro uulnere tanto,
Quod unius caussa mea
A ccipis, indignus quamnam pro munere tanto
Condigne habebo gratiam?
S emper adhærebo pedibus, uestigia semper
Colam atque adorabo tua,
P ræ delictorum numeróque & mole meorum
Indignitatis conscius
I pse meæ, qui uel uultum spectare, caputue
Nec debeam nec audeam.
E rgo anima infœlix uitiisq; obnoxia tantis
Quid præter inferos tibi
I am superest, nisi ad insignes conuersa dolores
Et regis & Christi tui,
N ec tam illum, tua q̃ uitia & scelera horrida plangens
Et abstinere post ab iis
I nstituens, ea commissis fateare ministris:
Quemq; ipsa per te non potes,
P er Christum impetres cælesti à patre fauorem?
Atqui reatus conscia

F orte tui, nequaquam audes accedere: uerùm
Onusta quanquam es, & malis
O bruta penè tuis: animo diffidere non te
Ob id tamen decet. uia
N ondum clausa tibi est: Christi cor inspice apertum:
Eius cruentatæ fores
V sque patent hodie: cor tantum adiungito cordi.
Scio esse scriptum, quòd dei
I n sacrum nemo possit conscendere montem,
Cui non manus innoxiæ
S int, & cor uicijs atque omni crimine purum.
Id si uereris ac times:
N ec sophiæ cor ad usque putas armaria sacræ
Accedere aut intrare te
P osse: patent cuicumque fores: ad limina saltem
Adstabis, illic & gemes.
N ec dubium quin ille tuas exaudiat, & mox
Portis apertis lachrymas
E xcipiat. flete ergo uiri iuuenesq; senesq;,
Vnáque mecum dicite:
Q uis nostris fontes lachrymarum donet ocellis,
Ploremus ut nocte ac die?

Q uis lamentorum puteos exhauriat, illas
Angustias, nostri ut dei
N ostráue plangamus potius delicta? quod ille
Suffert enim: nostrum est malum.
N os deliquimus, ille luit: nos fecimus, ille
Exoluit, & chirographo
N omina deleto persoluit nostra. quid ergo
Adhuc uacillas ac times?
N onne anima exaudis penetrantem archana polorum
Proq́; hostibus diris suis
O rantem, & patri sua uulnera præsentantem,
Vt tu quieta postea
E t secura mali uiuas, expersq́; doloris,
Modò obuiam ne gratiam
A bijcias, nouaq́; adiungas peccata uetustis?
Terrere quòd si dæmones
P ræteritamq́; tibi ante oculos opponere uitam
Pergant: habes securè ubi
D egere, & illorum possis contemnere uires,
Fortissimum omnium crucis
P ræsidium. rupes hæc est excelsa, locusq́;
Munitus est: ubi aspero

C ontra dæmonis insidias in tempore poßis
Latêre. non desunt ibi
Q uò fugias, tetræ manuumq́; pedumq́; cauernæ,
Nulliq; cordis peruia
V ulnera: qui non se consortem fecit amaræ
Istius & duræ crucis.
H anc ergo fuge securus peccator in arcem,
Si qui fuisti, desinis
E sse modò: post hec nec prauam degere uitam
Proponis, uno nixus &
C hristi præsidio fultus: quò ~~uerò~~ perdere qui te
Quærunt, & insidijs petunt,
H aud facilè inueniant. te deiice: & omnia prorsus
Prosterne membra corporis:
I nclina caput, & pacis complectere signum.
In filijs superbiæ
R egnat, & hos tantum cacodæmon nouit. in ipsam
Christi crucem qui spem suam
O mnem constituunt, de se nihil, omnia Christi
Sperare norunt gratia,
N il ad eum spectant: ergo contra illius astus
Omnemq́; peruicaciam

T e crucis hanc recipe, & latita securus, in arcem.
Haec turris est ueri Dauid:
E x qua armaturae pendent clypeique potentum,
Omnisq; uirtus fortium,
N ullis principibus, nulli expugnabilis hosti.
Muro cruentarum undique
S pinarum ambitur: sed qui fortissima longè
Post se relinquat moenia,
A tque Semiramios, orbis miracula, muros.
Haec uerò circum moenia
F lumina aquae aeternam in uitam salientia uiuae
Scaturiunt, & iugiter
A tque perennè fluunt: quàq; intres, unica tantum
Est porta, clauis ferreis
A c nimium duris caelesti ex cardine pendens.
Et ne subintret quispiam,
A ngelicae excubias uirtutes nocte diéque
Agunt: nec illuc ingredi
Q uenquam permittunt, qui nòn spoliauerit illum
Adam uetustum, & in nouum
S e tectis terra uiciis, sepeliuerit Adam:
Ipsiq; mundo mortuus

A mplectat Christiq; crucem, Christiq; sepulcrum.
Ergo inter ista quatenus
V iuendum tibi peccator lapsa atque caduca:
Istius arcis occupa
P ræsidium, totusq; tibi sit Christus in ore:
At ille confixus cruci.
S ed nec in ore modò: Christum tantummodo spectet
Eiusq; dira uulnera
M ens tua: & illius precioso sanguine plagas
Tam fœtidas terge ac laua:
A c caput istarum diro diademate cinge
Spinarum, & infecto genas
V nge tuas sputo: confige manusq; pedesq;
Ne concupiscant uel bona
V el uitam alterius. si te componere normam
Studes ad istam, & cum tuo
V erè confixus Christo es, pariterq; resurgis
Cum eo, simul post istius
E lapsos uitæ fragilisq; & mobilis annos,
Scandes in æthera: atque ibi
M undum despiciens, iugi æternaq; frueris
Beatitate perpetim.

F ac ergo sic te morientem uiscera cordis
O Christe nostri sentiant,
S ic plagas gustare tuas & uulnera discant,
Quae cuncta nostro sustines
N omine, ut exortes infausti corporis huius,
Te sempiterna in secula
C um patre regnantem supero uideamus, & illo
Cum sancto & almo spiritu:

Amen.